

§. XVII.

Dictis his addit denique Apostolus mentionem medii, quo adquiri voluerit Deus hunc usum in verbis: ὁρισ-
 σας -- αὐτῶν. Vbi imprimis obiectum assertionis confide-
 randum venit, quod indicatur verbis: προτεταγμένους -- αὐ-
 τῶν. Quod ad primam expressionem attinet, καιρός, si-
 gnificat in genere quaelibet tempora siue rerum successio-
 nes vt dies, menses, anni sub iis comprehendantur: in specie autem tempora opportuna, vt apud *Hesiodum*
Op: & Dier: v. 694. καιρός δ' ἐπὶ πᾶσιν ἀριστός, tempus in omni-
bus optimum. De sensu huius vocis differunt interpretes, quidam de fixis anni mutationibus, nec non de diebus aliisque successionibus intelligunt quod fit a *Corn Adami* l. c. p. 307. sed tempora hic putari constat, quae proxime ad hominem spectant, & imprimis quemlibet eorum in specie, quaeque ipsi praefixa sunt, quod de his successionibus dici nequit, quae existerent, dum plures singulares homines non existerent, quinimo dum res ratione praeditae non essent. Recte quidem horum constitutio & ordinatio aequae ad Deum refertur, ac reliquorum, a quo omnes eiusmodi mutationes terrae nostrae proficuae recte deriuantur, sed hoc loco subsequen-
 tibus & discrimini vtriusque locutionis recte stabiliendo non optime conuenit, vt ex infra dicendis magis patebit. Vnde nec *Pythagoraeis* opponere id voluit *Paulus*, qui soli tribuebant has mutationes, iuxta *Iamblichum Protr.* p. 96. vt putat *Adami* l. c. cum & ii, qui Deo easdem adscribunt, non minus soli tribuere possint; nec *Epicuræis*, qui temporum mutationes & annorum vicissitudines negauisse dicuntur, quippe quod res erat a *Pauli* fine
 remo-

remo-